

An hippocratica doctrina de constitutionibus medicis comprobanda? : An in curandis morbis et praesertim acutis observanda? : theses quas, Deo juvante, in saluberrima Facultate medica Parisiensi, praesentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjectas tueri conabitur, die 19 decembris 1826 / F. Martin Solon.

Contributors

Martin-Solon, Fernand, 1795-1856.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Parisiis : Ex typographia Lachevardière, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t8m66h9h>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

3.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM,
JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ
UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA, ANNO 1825.

An hippocratica doctrina de constitutionibus medicis
comprobanda? An in curandis morbis et præsertim
acutis observanda?

THESES

Quas, Deo juvante, in saluberrima Facultate medica Parisiensi,
præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum
disputationibus subjectas tueri conabitur, die 19 decem-
bris 1826,

F. MARTIN SOLON,

MEDICINÆ DOCTOR,

ACADEMIÆ MEDICINÆ REGIÆ SOCIVS ADJUNCTVS, ETC.

C
PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA LACHEVARDIERE,
VIA COLOMBIER, N° 30.

M. DCCC. XXVI.

PRÆSES D. ESQUIROL.

ADELON.

CAYOL.

FIZEAU.

JUDICES DD. FOUQUIER.

RECAMIER.

DE KERGARADEC.

JADIOUX.

VICEM-GERENTES DD. CHOMEL.

ROCHOUX.

COMPETITORES.

DD. PIORRY. — BENECH. — MARTIN SOLON. — BAYLE. — GIBERT. —
GUIBERT. — LEGER. — BOUILLAUD. — DRONSART. — VESTH. — TROUSSEAU. —
DANSE. — DALMAS. — VALLAT.

Hippocratis doctrina de constitutionibus medicis vel epidemicis (si verbo quorundam utamur), in illo peculiari quodam signo versatur, quod morbi in se quasi insculptum præbent, instantे tempestatum defluvio, aut ignota forsitan causa, cujus effectus tantum percipere queamus; quæ vero, quæcumque sit, adeo morborum naturam temperat, ut eorum aliquando mutetur curatio necesse sit.

Cujusquidem doctrinæ scientia in factis quæ a primis artis temporibus observata sunt sita est, eorumque diligentî in consideratione et in præceptis quæ ex illa consideratione oriuntur. Complures medici arduam hanc materiam tentaverunt, alii vero illa omnino prætermissa, in observandis factis quæ oculis subjiciebantur toti se contulerunt, nulla rerum ab antecessoribus observatarum habita ratione.

Tam multa sunt perpendenda facta, tantumque temporis postulat illa investigatio, ut non licuerit multas aggredi quæstiones, quas nostrum præbet propositum, illasque tantum notaverimus. Utilitatem qua pollent constitutiones medicæ, ad dignoscendos morbos symptomatibus fallacibus, ut ita dicam, induitos adnotare satis habuimus.

Primæ partis nostri argumenti solutionem aggressuri, illas medicas retulimus constitutionum descriptiones, quæ perfectius delineatæ nobis apparuerunt, maximam partem earum quæ nostros ante oculos incumbebant linquere conati.

Prima illa facta perpendimus, observataque recentia ponderavimus, et ex considerationibus ab illis fluentibus nostram duximus primam conclusionem.

Ex solutione primæ quæstionis oriri debet quæstionis secundæ

solutio, illam quoque certissimis ex factis tum veteribus, tum recentibus facile elicimus.

Hanc profecto immensam materiam, nimisque nostra ætate neglectam, non omnino perscrutati sumus; at ideo venia sumus digni quod tempus defuerit, quodque de constitutionibus loquendo dixerit Sydenham: « Ad justum de iisdem observationum apparatum congerendum, fortasse senis medici ætas non sufficeret. »

QUÆSTIO.

AN HIPPOCRATICA DOCTRINA DE CONSTITUTIONIBUS
MEDICIS COMPROBANDA?

AN IN CURANDIS MORBIS ET PRÆSERTIM ACUTIS
OBSERVANDA?

PRIMA QUÆSTIONIS PARS.

An hippocratica doctrina de constitutionibus medicis comprobanda?

§ I. Quorundum auctorum sententiae et observata.

Hippocrates non ignorabat quanta sit in movendis morbis tempestatum vis, et quibus signis illa morbos quasi notet. Illudque profecto jam diu Hippocratis majores cognoverant, nam Coëus senex illa non, ut a se ipso inventa refert; et saltem verisimile est, illum antecessorum observationes ad suam utilitatem retulisse, qui tanta cum fiducia doctrinam quasi constituit, quæ quidem, non nisi multis et accuratissime narratis factis innixa, stabiliri potest. In nonnullis illius rei medicæ parentis operibus, præcepta de constitutionibus medicis quasi constituta videntur. Suum *de aere aquis et locis* librum his verbis exorditur: « Qui artem recta investigatione consequi volet, is primum quidem anni tempora in considerationem adhibere debet. » Hujusque præcepti fidus custos, ab incipio *librorum de morbis vulgaribus*, plures constitutiones medicas describit, antequam morborum, qui vulgo grassati sunt, narrationem aggrediatur; indicat postea quæ fuerint eorum progressio et finis. In procreandis morbis vim tempestatum adeo cognoscebat divus senex, ut de illa fere tantum tertiam Aphorismo-

rum sectionem scripserit. In illa tam gravi ejus operum parte , multæ apparent sententiæ , quæ tot elapsis seculis , et in regionibus a Græcia tam disparibus veræ et sagacissimæ videntur. Attamen fateamur necesse est, plures ex illis nimis extensas nostro arbitrio esse. Sed a nostris adeo differunt regiones in quibus medicinam exercebat Hippocrates, ut non alia causa quærenda sit, cur ab illius observationibus nostræ tam discrepent observationes.

Etsi , multis quæ nunc nobis præsto sunt instrumentis , indigeret Hippocrates, atiamen in tempestatum observatione , calorem, frigus , siccitatem , humorem inspicit atque quicquid ex illis tempestatum vicibus oriatur , in tertia Aphorismorum sectione constituit. In libris *de morbis vulgaribus* , cum descriptionem meteorologicam aggreditur , autumnum primum , sequentiaque anni tempora , æstatem denique considerat, et morbos qui in anni quibusque temporibus grassantur , et quibus signis dignosci possunt enarrat. Illud notandum præbet : medicam scilicet constitutionem non tempestatibus aut anni terminis circumscribi , cum tempes- tates aut sequentes anni in illam nullam mutationem afferunt. Qua quidem arte solertissimus ille contemplator ad id pervenit , ut multarum medicarum constitutionum nobis præberet exempla ; inter quæ , illa præsertim , ex communi omnium auctorum opiniōne , conspicua , quæ in primo et in tertio libro scripta sunt. Constitutionem medicam cognosci , tanti momenti arbitrabatur Hippocrates , ut hoc ipsum in libro de Prognostico diceret : « Debet autem morborum ejusmodi naturam cognoscere , quantum corporis vires exsuperent simulque et , si quid divinum in morbis insit , hujus præcognitionem addicere. Debet autem differentiam morborum , assidue in volgus grassantium cito animadvertere , nec temporis statum ignorare. Sic enim eum omnes merito admirabuntur et bonus erit medicus. » Ed. Chart. , tom. VIII , p. 585.

Celsus vero , cuius liber toto et tam eximia præbet medicinæ et hygienes generalia præcepta , nihil , de tempestatum et variarum cœli temperationum vi prætermisit , in morborum grassatione et progressu evolvendis. Hæc leguntur in præfatione secundi libri

De re medica : « Ubi æqualitas (tempestatum) autem est, saluberrimi sunt sereni dies : meliores pluvii quam tantum nebulosi nebulive : optimique hieme qui omni vento vacant ; æstate quibus favonii persulan. » Illudque infra subjicit : « Neque solum interest quales dies sint, sed etiam quales ante præcesserint. »

Galenus, cum Hippocratis libros commentariis illustraret suam de humoribus in eximiam divi senis doctrinam induxit, et diversis anni temporibus humorum prævalentiam, sanguinis scilicet bilis assignavit.

Subsequentibus seculis, oblivione insepulta fuerunt bonaæ doctrinæ, nec commune fatum declinavit doctrina de constitutionibus medicis ; et, sexdecimo tantum adveniente seculo, novo splendido fulgore in lucem rediit.

Inter primos qui Hippocratis doctrinam in honorem revocaverunt, annotandus medicus gallicus Baillou, qui quidem in duobus *Epidemiorum et Ephemeridum* libris, constitutiones ejusque anni temporis, et morborum qui illa comitantur descriptionem in lucem edidit. Quidquid ipse annotavit refert, illudque cum Coi seni observationibus comparat, illasque aut confirmat, aut discrimina notat. Sese plerumque sanguinis emissionis studiosum præbet, quam quidem adhibebat in febribus putridis ; illudque ex his ipsius verbis patet : « An neotericorum standum opinione, qui in febribus quas putrescens humor ascendit, a venæ sectione temperant, quod in mesenterio humores concludantur ? Contra stat experientia, nam statim a sectione morborum levatio. » *Lib. I, pag. 5.*

Sydenham, qui ingenti totam morborum phænomenorum mollementigenio coereuit et amplexus est, morborum quos in diversis anni temporibus observabat, progressus perspexit et Hippocratis et Baillou instar descriptis. Ut medicinæ parens in apertum specialia exhibuit symptomata. Morbos generatim depinxit, sed, tantum quod ex observationibus ortum perceperat, non vero observationes ipsas scripsit. In duabus partibus medicum annum divisit, hæ sunt : 1° constitutio vernalis, quæ per januarium mensem incipit, et adveniente solsticio desinit ; 2° constitutio autumnalis, quæ ab illo solsticio, usque ad januarium mensem procédit.

Per primam constitutionem occurruunt morbi, qui caput et pectus

afficiunt; per autumnale tempus, abdominis organa præcipue morbi regnantes invadunt. Animadvertisit Anglus Hippocrates vario sæpe aspectu morbos indui, « Non tam qua varias ejusdem anni tempestates, quam qua discrepantes diversorum ad invicem annorum *constitutiones* referunt ab iisque dependent. » Postea Sydenham de morbis quos ipse contemplatus est loquitur, affirmatque se ex suis observationibus compertum habere, omnes populares morbos, et præsertim febres continuas pro variis annis differre; ita ut curandi ratio quæ nunc sanitatem, elapso tantum anno mortem afferre posset, illasque varietates his verbis evolvere conatur. « Variæ sunt nempe annorum constitutiones, quæ neque calori, neque frigori non sicco humidove ortum suum debent, sed ab occulta potius et inexplicabili quadam alteratione in ipsis terræ visceribus pendent. » *Pag. 22.*

Constitutionibus medicis generatim enarratis, plures Sydenham populares morbos adumbrat, quos ipse observavit per illas constitutiones. Paucis verbis præcipuas tempestatum notas indicat, et curandi modum ex ipso peculiari constitutionis genere elicit, ut ipse ait in illa quam nuperrime citavimus pagina: « Ubi semel in genuinam medendi rationem, quam hæc vel illa febris speciem sibi vindicat, auspicato indicerim, ad eundem scopum collimans (favente, ut sit, optimo numine) metam quasi sémper attingam, respectu ad temperamentum, ætatem et reliqua ejus modi usque quaque habito, donec extincta illa specie novoque gliscente malo, anceps rursum hæreo qua mihi via insistendum, ut ægris subveniam. » *Oper. omn., t. I.*

In diversis popularibus morbis quos ab anno 1661 usque ad annum 1675 exploravit, multi occurrunt quiquidem valde inter se discrepant, quos vero auctor uno aspectu intuetur, quod scilicet eorum quisque inflammationis signum præsefert. Itaque per annorum 1665 et 1666 epidemicam constitutionem, peripneumoniis, pleuritidibusque et anginis observatis, morbum quemdam pestilentem adnotavit: « anno vero surgente, inquit, ipsa pestis irrupit magno symptomatum pathognomicorum numero stipata, carbunculis, bubonibus. » Et cum per illam constitutionem plu-

rium profuisset sanguinis missio, illa uti non dubitavit, eamque invadente hoc pestilenti morbo, et antequam erumperent carbunculi, commode adhibuit. Dicit plurimum profuisse hanc curand rationem, et ideo unum ex illis quos curabat interiisse, quod ipse a repetita sanguinis missione prohibitus fuerit. Similibus quoque impulsus rationibus Sydenham, variolam curandi modum antea usitatum omnino mutavit, medicamentisque calefacientibus di fluentia et antiphlogistica suggessit.

Ex ill. Ramazini Constitutionibus medicis Mutinensibus, ab anno 1689 usque ad 1694 annum, patet pluviosum fere semper cœlum fuisse, mitemque hiemem per primum annum et duos annos sequentes, multasque grassatas fuisse diarrhæas, verminosque affectus, et febres ominosis signatas symptomatibus, quæ funestum semper exitum secum trahebant; quaquidem perstante tempestate, multas curandas fuisse febres typhoideas.

Baglivi (*Historia Romani terræ motus*) refert vernum tempus per annum 1703 pluvium fuisse, et temperate frigidum, æstatemque mite calidum, autumnum vero jucundum, hiemem pluvialem et frigidam. Vere novo multæ apparuerunt ophthalmiæ et multa exanthemata; per hiemem et autumnum vero plurimæ grassatæ sunt apoplexiæ, tertianæque febres et mesentericæ. Addit non verisimile esse illos affectus variis tempestatibus ortum suum debere, sed potius terræ motus durumque jejunum quod cives romani, ut Dei iram placarent, servabant, ad illos movendos plurimum contulisse.

In libro cui hæc inscriptio, *Historia morborum qui annis 1699, 1700, 1701 et 1702, Uratislaviæ grassati sunt*, descripta occurunt præcipua propriaque ejusque anni temporis signa, et historia morborum qui per unam quamque tempestatem annotanda fuerunt. Et si illud opus non multa de constitutionibus medicis singillatim considerata præbeat, haberi tamen debet fons uberrimus, ex quo multa oriuntur, quibus innixa stabiiliatur doctrina de constitutionibus medicis.

Huxham, qui tantam in describendis epidemicis morbis, ab anno 1728 ad annum 1748, famam assecutus est, fidissime quid-

quid de constitutionibus meteorologicis observaverit enarrat. Ideoque imitandus proponi potest, quod illas sagacissima cura annotavit. « Cœli, inquit, atque aeris mutationes, notarem diligenter, variosque morbos has consequentes, eorum sane causam et naturam melius cognoscebam; quales enim tempestates, tales etiam sunt morborum constitutiones, sicut notavit olim Hippocrates.» *Observat. de aere*, præfat., t. II, p. 1. Tonicorum medicamentorum usus ei utilis visus est; in quibusdam constitutionibus medicis, quæ per breve tantum tempus perstitere.

Neapoli, anno 1763, siccus ac cœli temperie varius fuerat autumnus; per januarium 1764 anni mensem, austus et favonius flare cœperunt, nec toto posuerunt anno; inde magna constitutionis atmosphericæ perturbatio, multique morbi urbem vexarunt. Cl. Sarcone, solertissimus rerum in illo tempore investigator, refert late sœvisse rhumatismos, febresque remittentes et intermittentes, cum abscessibus, erysipelatisbusque gangrenosis, peripneumoniasque rhumatismales et asthenicas. Memorat idem Sarcone his præcipue symptomatibus: copioso scilicet sudore, urinæque aquosæ profluvio, vitalium, genuinarumque functionum perturbatione, a prostratione virium, illos quasi signatos fuisse morbos, qui, ut antea quoque animadverterat Huxham, opio kinaque adhibitis plerique recesserunt.

Vindobonæ Dehaen inflammatoriam constitutionem observavit, intentione conspicuam; qua in curanda maximam ex largis sanguinis missionibus utilitatem ille medicus percepit.

Vir ille cuius *monita et præcepta*, præsertim ob eximiam qua pollut sagacitatem propiorem Hippocratis aphorismis locum obtinent, Stoll, qui magno Vindobonæ præerat nosocomio, ubi antecessoris Dehaen partem suscepserat, per plures annos ab elapso 1776 anno, biliosam, mira quadam arte, adumbravit medicam constitutionem, quæquidem præsertim in pleuritidibus, peripneumoniisque et rheumatismis occurebat, etc., etc.: celerrime illos vomitiva et laxantia medicamenta tollebant affectus, quos *antiphlogistica* exasperabant. Ut primum illæ pneumoniae aut pleuritides ægrum invadebant, os amarescebat, se remittebat fames:

« Tandem , scripsit , accessit tamen horripilatio quin et intensius frigus, minus tamen grave, quam in vera alias pulmonum inflammatione solet. » Postea pectoris morbi localia symptomata demonstrat , et addit : « Ructus amari, alvus aut obstrueta , aut liquidior ac biliosa ; facies cum virore pallida.... , sapor oris amarus.... , lingua alba subinde, mucosaque , plerumque tamen flavo virescente humore obducta.... , spuma glutinosa , crassa , tenacia , in paucis vere virescentia.... Vomitus quibusdam spontanei . levantes , biliosi.... Pulsus , ut plurimum , non durus , et varia in variis celeritate. » Ab incipio incertior fuit curandi ratio. « Multi unam duasve sanguinis missiones instituerunt eo evenitu , ut post momentaneum , brevique evanidum levamen omnia symptomata exasperarentur.... Ubi facto examine constitit , morbum nulla vera inflammatione complicari , qualis plerumque fuit , curam ab emetico incohavimus.... Ferme omnibus paulo post vomitum oppressio pectoris insigniter imminuebatur. » Dum ex morbo convalescerent ægri , medicamenta stomachica ad reficiendas stomachi vires coctrices adhibebat. — *Ratio medendi*, pag. 8 , etc.

Cum Vindobonæ mutata fuit constitutio medica, inflammatoriamque faciem induit , quod quidem agnovit sagacissimus ille Stoll , eodem studio , quo paulo post vomitiva laxantiaque medicamenta præscripserat , sanguinis missiones et antiphlogisticam methodum indixit.

Hanc biliosam constitutionem medicam et quæ secuta est constitutionem inflammatoriam observavit quoque Hufeland.

Dum illi medici Vindobonæ hanc biliosam constitutionem observarent , eamdem in Normannia Le Peeq de la Clôture explorabat , eique nomen constitutionis catarrhosæ addixerat ; quodque annotaverat scripsit in libro cui hic titulus : *Observations sur les maladies épidémiques*.

Hippocratis præceptis imbutus Lepeeq de la Clôture constitutiones medicas , quas observaverat , dum artem medicam exerceret , in lucem edidit. Illaque præsertim conspicua est, et, in illo operis genere ad exemplum proponi posset , quam supra indicavimus , cujusque summum exponemus.

Exeunte 1769 anno, frequenter pluerat, vehementiusque flaverant austus a frigido, et barometrum nunquam usque ad octo decimum *pollicem* suum gradum extulerat; telluremque per septembrem gelu duratum, imbræ mox irrigaverant. Adveniente solstitio, austus et frigido debacchati sunt, comitantibus procellis, densissimisque imbræ, frequenter strepuit tonitru. Per januarium mensem frigus fuit, sed non tenuit, eique saepius imbræ successerunt. Varia cœli temperie ver insigne fuit; et quamvis thermometrum, per Maium, vigesimum gradum attingeret, aquilonis tamen continuus flatus atmospheram refrigeravit. Advento solstitio, humida fuit temperies et frigida, fere continuo favonius flavit; barometrum infra duodetrigesimum gradum stetit; nec thermometrum quindecimum gradum superavit, ad duodecimum vulgo gradum stabat. Per caniculares dies, mitis primum fuit temperies, posteaque calor thermometrum ad vigenti sextum gradum extulit. Sed incipiente septembre, rediit frigida humidaque cœli temperies, comitantibus nebulis solito magis densis.

Ille annus, ait ipse Rothomagœus observator, insignis fuit peculiaribus quibus notabantur signis morbi, et curandi modo quem postulabant. Complures perscrutanti se præbuerunt hoc morbo, quem ipse febrem catarrhalem peripneumonicam appellaverat, laborantes. Hujusce quidem affectus ea sunt peculiaria signa: repentina morbi grassatio, comitante sat magno capitis dolore, qui saepe saepius ex sudore suppresso oritur. Ægros vexabant spirandi difficultas, tussis, mucosaque expunctione, et cruenta saepe sputa, multa saepe etiam mucosa materia permista, et sat vehemens quoque lateris dolor. Ad illa plerumque accedebant saburralia in gastricis viis signa, linguæ subflavus color, mucosi vomitus et biliosi, ejusdemque naturæ dejectiones; pulsus febrilis erat; e naribus aliquando sanguis sed parce effluxit. Horum morborum plerique prima vel secunda aut tertia septimana recedebant, quod quidem aliquoties eveniebat, post copiosum crassæ criticæque urinæ profluvium.

Morbus cedebat ptisana pectorali adhibita, admotaque ipecacuanha, aut tartrate stibiato ad illam dosim quæ vomitus moveat.

Raro admodum sanguinis missiones instituit, eisque, non nisi peculiaris cujusquam casus habita ratione, usus est.

Mulieri scilicet ideo venam incidit, quod menstrua difficile defluerent. Sed in cæteris omnibus casibus ab illa curandi ratione semper abstinuit, quia plane perspexerat, quam periculose in istius modi constitutionibus institueretur. « J'ai vu, dit Lepecq, des malades tués par l'abus de ce secours mal employé; j'en ai vu d'autres rester languissants, menacés de phthisie, tomber dans la fièvre lente, l'anaxarque et l'hydropsie. » Pag. 59.

Apud regiæ societatis medicæ Parisiensis Commentarios, permultæ occurrunt observationes meteorologicæ, quibus adjuncta fuit morborum vulgo grassantium historia. Non omnes morbi in hoc libro optato designantur; peripneumoniæ enim putridæ vocantur morbi quibus in curandis, tres saltem sanguinis missiones instituerent necesse erat, et in quibus diluentes potus adhibebantur.

Hiver de 1779.

Non desunt alia facta quæ hanc doctrinam infirmare vident, sed multa, male observata nullo modo possunt nostra eruere facta. De illis, deficiente tempore, non possumus dissertare.

Constitutionem catarrhalem descripsit Fouquet quam per 1796 hiemem Montipessulano observavit.

Anno 1802, Dr. Viault, thesim propugnavit de constitutione haud absimili, quam Parisiis eodem tempore exploraverat.

Dr. Double, in medico commentario, quidquid de incipientis nostri seculi constitutionibus medicis observaverit, in lucem edidit. Ille non modo summa eruditione, sed rectissimo etiam judicio conspicuus observator, in singulo trimestri spatio, qui sit cœli status indicat morbosque describit qui per hanc periodum grasseti sunt; quam frequens sit constitutio catarrhalis enarrat; et loquendo de æstivali constitutione calidissima illud notandum præbet: « que les saisons régulières, quelle que soit leur intensité, sont bien moins nuisibles à l'économie que celles dont la marche irrégulière présente des changements fréquents et fortement prononcés. » Sept. 1803. Quæ quidem cum Hippocratis observationibus omnino congruunt.

Illustrissimus ille Pinel, cujus interritum nunc medici lacrymis prosequuntur, multa de constitutionibus medicis, sagacissime ab ipso considerata, scripsit in libro cui hic titulus : *Clinique médicale*. In instituenda nosocomii dicti *Salpêtrière* constitutione medica operam contulit. De illa tabulas delineavit, quæ in ultima illius libri parte collocantur. « La connaissance de ce qu'on appelle la constitution médicale, » ait illustr. professor, « ne peut être développée que sur la fin du deuxième mois et le commencement du troisième, puisque, pour procéder régulièrement à cette recherche, il faut faire, mois par mois, un recensement des maladies qui ont régné..... *Introduct.*, pag. xxI.

Cum de libris Hippocratis *de morbis vulgaribus* loquitur Dr. Broussais, dixit, « que ce genre de littérature médicale, loin de s'être perfectionné depuis cet écrivain, a fait au contraire quelques pas rétrogrades. *Examen*, t. I, p. 18.

III. Laennec, ille sagacissimus doctissimusque rerum serutator, cujus omnes immaturam mortem dolemus, arbitrabatur constitutionem medicam plurimum fortasse in cordis concretionibus sanguineis formandis valere.

§ II. Observata nova, considerationes aliquæ generales, et conclusio.

Expositis præcipuis factis quæ ab auctoribus relata sunt, qui de constitutionibus medicis tractarunt, primam quæstionem nobis propositam solvere conabimur, sed harum constitutionum sive aeris tempestatibus, sive morborum naturæ speciali inherentium classificationem præbere non tentabimus, nec fuse lateque de illis constitutionibus dicemus. Singillatim enarratas dissertationes negat propositum argumentum, et solum in doctrina constitutionum medicarum comprobanda aut infirmando versatur. Brevisiter perlustremus igitur facta a nobis exposita, quæ ob brevitatem temporis accuratius perpendere non licet.

Ex mutationibus meteorologicis constitutionum medicarum deprompta est doctrina, ut in suis operibus asserit Hippocrates, præsertim in tertia Aphorismorum sectione, in qua legitur : « Tem-

pestatum anni mutationes potissimum morbos pariunt. *Aph. I.* Per anni tempestates, quando eodem die, modo calor, modo frigus sit, autumnales morbos expectato. *Aph. IV.* Hieme vero pleuritides, peripneumoniæ, gravedines, rauicitates, tusses, dolores pectoris, laterum, lumborum et capitis, vertigines et apoplexiæ. *Aph. XXIII.*

Tum veterum, tum recentiorum inspectionibus probantur hæ assertiones, accurataque cœli temperiei et morborum perscrutatione. Quis negare poterit quanta sit in bene sanos ipsos atmospheræ siccitatis aut humiditatis vis? quis neget quantum, noctis aut diu vicibus, nostrum corpus afficiatur? Illud profecto jam diu ex observationibus plane compertum est. Ex recentibus D. Joannis Davy experimentis constat corporis calorem augeri cum e regione frigida in calidam sit transitus. *Ann. de chimie*, octob. 1826.

Quis inficias ire poterit permultas inesse aeri causas quæ nos modo levibus morbis, modo epidemiis typhoidibus afficiant? Nec ideo nostris illas instrumentis percipi posse aeris mutationes, quas tamen agnoscere ratione cogimur.

Ex altera parte sive aeris notandæ dotes agant, necne, observatione constat, morbos, in quibusdam temporibus, habitum peculiarem aut indolem specialem induere, inde tantæ in eorum decursu et curatione mutationes nascuntur.

Memorata inter facta notabimus: 1° constitutiones inflammatorias a cl. Baillou et Sydenham observatas; 2° constitutionem biliosam, tanta arte ab ill. Stoll descriptam, quamque cl. Lepecq de la Clôture et Hufeland observaverunt; 3° constitutionem putridam, de qua in operibus ill. Sarcone et Huxham mentio facta est. Quis non fatebitur morbos qui grassati sunt per illas constitutiones et de quibus præsertim insto, quod optime delineatæ sunt, signa inter se omnino discrepantia præbuisse? Verum enim vero pleuritides quas anno 1675 Sydenham descripsit, quasque Stoll anno 1776 observavit, et illæ quæ martio mense, anni 1735, grassatae sunt, quasque enarravit Huxham, sede quidem similes, symptomatibus vero, decursu et curatione, adeo dissimiles erant, ut nul-

lus , nisi quem præjudicatæ opiniones cæcant, illa discrimina admittere negaret, de his non amplius loquar.

Etiamsi ad nostram materiam non pertineat horum discriminum causas investigare , dicemus tamen illas phænomenis meteoro logicis qui, nostris observationibus et instrumentis percipi possunt, non semper omnino explanari , quia forsitan nostra instrumenta non exquisita perfectione pollent, quodque majori cura et sagacitate indigerent nostræ investigationes. Ut dicam quæ sint hæ constitutiones, non profecto ad Hippocratis τὸ Θεῖον, nec ad illud nescio quod inexplicabile clarissimi Sydenham confugiemus. Satis erit effectus cognoscere , si causæ latere debent. Sic , in febribus intermittentibus , satis est scire corticem peruvianum , cum recte præscriptum est et administratum , prospere succedere ; parvaque refert ignorare quæ sit ejus agendi ratio.

Non indicare conabimur quandiu præstare possint constitutiones ; non dicemus an morbi semper illorum sub arbitrio sint ; an constitutiones medicæ regnantes per quoddam tempus aliquando relaxentur. Non perscrutemur, an per quasdam constitutiones organa quædam magis afficiuntur quam alia. Longiorem secum traheret digressionem harum quæstionum explicatio , quæquidem sunt extra nostrum argumentum. Tandem ad factorum narrationem redeamus , et propositum aggrediamur.

Nonne quotidie occurruunt facta quæ ab aliis medicis antea observata confirmant? Quis neget morbos qui ab aliquot abhinc annis regnant , constitutione inflammatoria insigne esse , illamque constitutionem adhuc vigere? et si quis inficias iret, illum omnes subrisu et improbatione persequerentur, ut nuperrime accidit in doctissimorum virorum cœtu.

Hanc observatam constitutionem et multa facta quæ illam designant in opusculo retuli, quod , in competitione ad præmium quot annis nosocomiorum discipulis datum, sibi judicum suffragia confecit. Hocce opusculum 528 observationibus, multisque tabulis constabat, quarum aliæ morbos qui per trimestre spatio grassati sunt evolvunt, aliæ analyticam narrationem præbent præcipuorum morborum qui nobis observandi fuerunt. Illæ observationes col-

lectæ fuerunt in illis partibus nosocomii dicti *Hôtel-Dieu* quibus præerant DD. Husson, Recamier et Geoffroy, quibus quidem venerandis magistris meis publicum grati animi pignus præbere me juvat. *Tabul. priv. pneum.*, *Dict. sc. medic.*, tom. XLIII, p. 444.

Hoc labente anno imprimis flaverunt aquilo et auster, fere continuo barometrum ad 28 pollicem stetit, parcæ imbres fuerunt, sat stabilis fuit calor, et 26 gradum attigit thermometrum, multi fuerunt lepidi dies. Itaque observavimus plerorumque morborum naturalem progressum fuisse, celeremque recessum.

Apud 528 ægros observavimus 337 phlegmasias acutas et implicationibus vacuas; 33 hæmorrhagias, ex quibus octo inflammatio- nibus implicatae erant; 43 neuroses, inter quas 9 quibus inflammatorii affectus accedebant; 38 organicos morbos, ex quibus 11 phlegmasiis stipati erant; denique 57 febres, quoquidem in genere morbi collocantur nonnulli plethorici, biliosique et adynamici status quidam, febres intermittentes et variis omnibus signatæ typis, quarumque nonnullæ inflammatoria symptomata præse ferebant.

Ex observationibus nostris patet organa digestionis præsertim phlegmasias invasisse, diversaque pulmonis elementa.

Antiphlogistica curandi ratio fere semper adhibita fuit, semperque prospere successit. Sanguinis etiam missio homini utilis fuit affecto peripneumonia, quæ adynamica præbebat symptomata, cuique saniosa accedebat exspuitio.

Ab illo tempore eadem semper nobis visa est constitutio medica, in nosocomiis, æque ac in urbe antiphlogistica curatio in debellandis regnantibus morbis imprimis valere visa fuit. Raro adhibitum fuit tartras stibiatum ea dosi quæ vomitus moveat; et, in paucis admodum casibus, medicamenta stimulantia commode præscripta fuerunt. Ideone Stoll constitutionem biliosam, constitutionemque putridam Huxam rejicere debemus? Illud profecto absque recta ratione et bona fide esset.

Præsens medica constitutio vim suam exerceat etiam in ægros qui operationem chirurgicam patiuntur: sæpe observavimus organa gravi inflammatione correpta, apud ægros in quos celleberimus

nosocomii dicti *Hôtel-Dieu* protochirurgus operationes habituā exercuerat dexteritate.

Quamvis sedulam post observationem vera hæc præcepta admitti debeant, diversis scilicet anni tempestatibus morbos procreari, qui illarum tempestatum defluvio obnoxii sunt, et quibusdam in easibus, quos sæpius explicare nequimus, morbos peculiarem quamdam faciem induere; attamen fateamur necesse est illam Hippoeratis, quam quidem celeberrimi medieci acceptam sequi sunt, doctrinam, sæpius neglectam fuisse quam ut ad suam utilitatem omnia illa retulisset facta, quibus innixa firmiori stabiliorque basi imponeretur.

Multæ accuratissimæque observationes; sædulæ perscrutationes de diversis aeris dotibus, adjvantibus fidelibus instrumentis; æque facta symptomatum cum medicationis exitu contentio; attentissima cura in notandis varietatibus quas ad morborum progressus afferunt diversa climata et utriusque gentis diversi mores, aliquæ omnes casus qui illa explicare possunt quæ sæpius in observationibus interse pugnantia videntur; cadaverum extispitiones accuratissimæ factæ, læsionum quæ mortem aut antecesserunt aut secutæ sunt ratione habita; hæc sunt necessaria elementa ad stabilendam expendendamque, tabulis rectam comparationem instiuentibus, doctrinam in qua jam nobis adsunt nonnulla prætiosa documenta.

CONCLUSIO.

Et, cum inquisitio comparatioque horumce documentorum, excerptorum ab auctoribus maximi in re medica ponderis; cumquæ observationes propriæ nostræ nobis demonstrarunt morbos haud raro tempestatum causa produci, et sæpe quadam speciali a præstantissimis auctoribus indicata vi grassari, factis meditationibusque freti, absolvimus quæstionem et dicimus:

Ergo hippocratica doctrina de medicis constitutionibus companda.

QUÆSTIO SECUNDA.

An hippocratica doctrina de constitutionibus medicis, in curandis morbis et præsertim acutis observanda?

Chronici morbi vires constitutionis medicæ parum patiuntur. Attamen phthisicos, exempli gratia, vidimus parvis missionibus sanguinis sublevatos cum in pejus ruebant, constitutionis inflammatoriae regnantis causa.

Medicamentorum optionem aliquando addicunt tempestates. Therapeuticæ antiquissimæ leges usum medicamentorum purgantium per tempora nimis calida, aut nimis frigida, repellunt. Eadem leges contra, ut in indicatis *constitutionibus*, quibusdam utamur medicamentis nos suadent. Per æstatem, exempli gratia, majoris prætii sunt sudorifici quam in tempestate opposita. Tandem non nos fugit chirurgicas operationes frequenter amoveri, quia non illis aut tempora, aut regnans constitutio medica favebant.

Maximi momenti est constitutionis medici cognitio in quibusdam casibus ab illis. Sydenhamo, aliisque clarissimis auctoribus indicatis; quibusquidem in casibus, non solum ad curationem instituendam prodest constitutionis scientia, sed etiam ad morbos dignoscendos quorum symptomata multum differunt ab illis quæ cum morbi causa apte congruunt. « Eh bien, ait doctor Mourgué, dans ces diverses circonstances, c'est la connaissance de la constitution régnante qui donnera au médecin toutes les notions que lui refusent les symptômes. » *Essai sur la doctr. méd. des constitutions et des épidémies.* Montp., 1819. Unam observationem referamus quæ utramque assertionem stabilire poterit. Hanc observationem per annum 1818, in nosocomio vulgo *Hôtel-Dieu* dicto, apud D. Husson, collegi.

Pleuro-pneumonia dextera. Nec tussis nec expectoratio adsunt, adynamica symptomata observantur; cum nonnullæ pneumoniæ inflammatoriae, in nosocomio vigent, thoracem exploramus; dignoscitur pleuro-pneumonia; curatio, instituta medicatione antiphlogistica.

Die 17. augusti, mulier sexagenaria, decrepita, et constitutione macilenta, ad nosocomium venit, nulla primum de illius anterioris statu documenta accepimus. Supina resolutaque jacebat, et vix poterat ad quæsita respondere nostra; sicca atraque erat lingua; sitis magna; cutis fervens et arida; pulsus strictus, frequens et parvus; normalem dixisses respirationem, nec tussis, nec expectoratio aderant. Attamen, cum in nosocomio tunc nonnulli pleuropneumonia inflammatoria ægrotabant, respirationis apparatus sedulo exploramus. Longam inspirationem ducere nequibat ægrota, sese male explicabat dexter pulmo, dolorem attulit percussio, et nullo modo insonuit pars thoracis dextra, sinistra perfectum contra sonum edidit. Tunc audivimus hanc mulierem, octo ante diebus, laterali dolore laboravisse, mucositatem sanguine striatam exspuisse, et prave fuisse tractatam. Cognita pulmonis inflammatione, missio sanguinis instituitur et potus pectorales dantur.

18 die. Parva fit expectoratio; pulsus amplior non tam frequens; de suo statu recte loquitur ægrotans.

19 die. Minuuntur symptomata, cucurbitulæ scarificatæ ad affectam thoracis partem admoventur.

20 die. Paululum sonat ad claviculam pectus, ad internam dexteris brachii partem apponitur vesicatorium.

Morbi melior status in dies crescit; purgatio cum oleo ricinorum instituta est in 26 die augusti.

Sequentibus diebus gradatim personuit pectus, et ad optimam sanitatem restituta, post 39 dies commorationis egressa est hæc mulier e nosocomio.

Tandem si ad medicationes ab ill. Baillou et Sydenham, Stoll et Lepecq de la Clôture, Huxham et Sarcone institutas, mentem nostram intendimus, magistros artis illos præclarissimos vidimus, in constitutionibus medicis, modum curationis accommodatum ca-

pientes : cum utilitate utuntur hac curatione et alias negligunt et repellunt quod aliæ illis incertæ vel nocentes videantur. Ill. Bailou et Sydenham missionis usu sanguinis celeres numerosasque sanationes adipiscuntur. Cl. Stoll et Lepecq de la Clôture methodum vomitivam et laxantem laudant ; discrimina incommodaque antiphlogisticorum adnotant. Sagacitate pollens Huxham constitutionem putridam, per maii mensem anni 1755 regnantem, depingit, in qua instituta primum parca sanguinis missione, ad usum tonicorum medicamentorum utiliter se se confert. « Ad eum adeo finem, optato demum cum successu, post summum morbi incrementum, exhibui aliquam ex cortice peruviano medicinam cum alexipharmacis idoneis et elixire vitrioli Mysichti acidulatam. » *Observ. de aere.*

In præsenti constitutione medica, sanguinis missiones tum generales, tum locales, potus diluentes et uno verbo antiphlogistica maximi momenti sunt in morbis regnantibus curandis, tartras potassæ stibiatum, cortexque peruvianus in paucissimis casibus opportune ministrantur.

Non dubito quin referre debeamus constitutioni tunc regnanti, sanationes numerosas quas in nosocomio vulgo Hôtel-Dieu dicto, feliciter obtinuit cl. Doublet, cum puerperales peritonitides radice ipecacuanhæ curaret. Ill. Finke, depingendo biliosam constitutionem quam ab anno 1776 usque ad annum 1780 observavit, hoc adnotat scilicet, recenter ex partu decumbentes haud raro, per diem vel posterum diem partus, correptas esse morbo signis sequentibus conspicuo : tumefactum tensumque abdomen erat, et doloribus cruciatum; inguinarum regiones dolebant, etc., etc. Recete illis puerperis admovebantur remedia quorum adversus febres biliosas probata erat virtus. *De morbis biliosis, auctore Finke.*

Quis morbum his symptomatibus signatum peritonitidem puerperalem esse negaret? Quis vero ad illam curandam semper eumdem ac cl. Finke et Doublet medicandi modum adhiberet in præsenti constitutione medica?

CONCLUSIO.

Itaque, cum ex illis diversis factis quæ supra memoravimus, pateat in curandis morbis acutis maximi esse momenti constitutionis medicæ rationem habere;

Ergo hippocratica doctrina de constitutionibus medicis in curandis morbis et præsertim acutis observanda.



